



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Sectio Prima. De Lege in communi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986



TRACTATUS DE LEGIBUS.

SECTIO PRIMA.

De lege in Communi.

Q. I. *Quid est Lex?*

Resp. **Q** Est præceptum Commune, honestum, justum, stabile seu perpetuum, ad bonum commune à gerente curam communitatis impositum, & sufficienter promulgatum.

Itaque, ex communi Doctorum sententia Lex est 1. *Præceptum*: nam Lex est ordinatio Superioris efficax, & obligans subditos ad agendum, vel omittendum aliquid. Non potest autem obligare nisi præcipiendo, hoc est, jubendo, vel vetando. Hinc Lex permittens est etiam præceptiva, saltem virtualiter: nam hoc ipso, quòd permittat aliquid fieri, prohibet, ne illud

illud fieri impediatur. Porro Præceptum est recta agendi, vel omittendi ratio, seu regula obligans. Per tò obligans differt à Consilio, quod est etiam recta agendi regula, sed non obligans. Hinc illud S. Hieron lib. 1. contra Jovin. *Ubi Consilium datur, offerentis arbitrium est: ubi Præceptum, necessitas est servientis.*

2. *Commune*: nam debet fieri Communitati perfectæ, ex L. *Fura* ff. de legib. *Fura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.* Communitas autem perfecta est, quæ ex natura sua perpetua est, ac politicæ gubernationis capax: sive est ea, quæ sibi sufficit ad assequendum finem, ad quem instituta est, nempe ad conciliandam, & conservandam felicitatem, pacem, ac tranquillitatem publicam, ut regnum, Provincia sui juris, Ecclesia, &c. Imperfecta verò, quæ ex natura sua non est perpetua, nec capax politicæ gubernationis: sive quæ sibi non sufficit ad prædictum finem, ut Familia, Parochia, &c.

3. Lex necessariò debet esse *honestæ*, statuendo videlicet aliquid honestum, vel in se, vel saltem ratione finis intenti, ad quem conducat. Nam finis legis est, homines bonos facere, ut docent Aristot. & S. Thom. Deinde homo non potest obligari ad actus malos, vel inutiles, seu indifferentes; nec Deus utpote summè bonus, sapien-

piens, ac rectus, dedit hominibus potestatem statuendi nisi honesta.

4. *Iusta*, scilicet ex parte Legislatoris, & iustitiâ quidem tum legali, in eo positâ, ut pro sit bono communi; tum commutativâ, quâ Legislator non plus statuât, quàm possit statuere, nec aliis, quàm subditis; aliàs injuriam inferret, & nulla esset Lex, cùm actio non possit excedere agentis potestatem: tum denique distributivâ, quâ secundum æqualitatem proportionis, habita ratione virium, & facultatum, imponantur subditis onera in ordine ad bonum commune. Nam esset contra rectam rationem, & iustitiam etiam commutativam, aliquos ultra modum gravare. Ad nullitatem tamen legis ex hoc capite requiritur tanta improportio, & inæqualitas, ut redundet in detrimentum commune, & in injustum, ac grave onus plurium, ut notat Suarez: alioqui enim si Lex de se utilis sit, & pauci plus æquo vexentur, Lex erit valida, & obligabit alios. Illi verò, qui injustè gravantur, non obligabuntur quoad excessum injustum, nisi per accidens ratione scandali, vel perturbationis, ad quæ vitanda debet quisque jure suo cedere.

Porro in dubio de honestate, vel iustitia legis præsumendum est pro Legislatore, & servanda Lex est: tum quia Superior habet jus altius, & possidet jus præcipiendi, à quo subditus per istiusmodi dubium
non

non probat, se esse exemptum : quia princeps regitur altiori consilio, & potest habere rationes subditis occultas : tum quia tunc legis observationem postulat bonum commune, & recta gubernatio ; nam alias subditis daretur nimia licentia non servandi Leges.

5. Est de se *perpetua*, hoc est, statuta in perpetuum, & sine termino definito : ita ut semel lata semper duret, quamdiu durabit communitas, cui imponitur ; nisi abrogetur, aut mutatis circumstantiis noxia, vel inutilis fiat, ex c. vlt. *de Offic. Legat.* Nam perpetuitas legum necessaria ad earum finem, nempe bonum commune, quod postulat stabilitatem, & uniformitatem, ut utiliter administretur communitas de se perpetua, quatenus per continuam successionem perseverat eadem moraliter in posteris : quippe legum mutatio detrimentum reipublicæ affert.

6. Lex debet essentialiter esse *utilis bono communi*, quod est finis essentialis, & primarius Legis. Constat tum ex c. erit *Dist. 4. ibi. Erit autem Lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, secundum Patriæ consuetudinem, loco, temporisque conveniens, necessaria, utilis, nullo privato commodo, sed pro communi utilitate conscripta.* Tum quia Lex est actus publicæ potestatis, quæ instituta est solum in bonum commune ; &

potestas ferendi leges non est data hominibus, nisi propter bonum commune procurandum, ut constat ex Scriptura docente, legislatores Ecclesiasticos esse Pastores, & habere potestatem tantum in ædificationem aliorum. 2. Ad Cor. 10. Sæculares verò esse Ministros Dei in bonum subditorum. Rom. 13. Præterea cum Lex toti communitati imponatur, eamque obliget, debet quoque ad illius bonum referri: alioqui inordinata esset, nam contra rectam rationem est totum ordinare ad partem, & totum onerare pro solo bono privato partis. In quo differt potestas jurisdictionis à potestate dominativa in servum, & à jure proprietatis in utilitatem privatam concessio. Itaque Lex omnis cedere debet in bonum commune, vel immediatè, vel saltem mediatè, & ultimatò, alioqui nulla est.

7. Lex debet ferri ab eo, *qui præest communitati*. Nam cum Lex feratur communitati perfectæ ob bonum commune, eamque obliget, ferri non potest nisi ab eo, ad quem pertinet curare communitatem, quique illius regendæ, obligandæ, & cogendæ potestatem habet juridicam.

8. Demum debet esse *promulgata* ex L. 9. *Cod. de Legib.* quia Lex est regula actionum generalis, & publica, dirigens, & obligans communitatem: at regula non potest

test communitatem dirigere, & obligare, nisi sit ei applicata, & nota.

Q. 2. *Quomodo Lex differt à Præcepto?*

Resp. Differt 1. Quòd Lex necessariò feratur à persona publica pro communitate, & ad bonum communitatis: at præceptum ferri potest à persona privata ad privatam, puta à Domino ad servum, & in bonum privatum Superioris, vel subditi, vel alterius. 2. Quòd Lex de se sit perpetua non merum præceptum, quod expirat morte præcipientis, Lex verò non. Quare si in nostra Societate præcepta Præpositorum generalium semper obligent, donec à successore revocentur; id non habent à se, sed à lege speciali Congregationis 7. Can. 10. iis perpetuitatem statuente. Igitur lex differt à præcepto, sicut species à genere: nam omnis Lex est præceptum, sed non omne Præceptum est Lex. Præceptum enim aliud est commune, aliud particulare. Commune subdividitur in perpetuum, quod solum est propriè Lex, & in non perpetuum, sed ad breve tempus impositum. Convenit autem Lex cum præcepto, quod utrumque sit regula agendi, vel omittendi obligans.

Q. 3. *An Lex omnis necessariò obligat?*

Resp. Aff. est Commun. Prob. 1. ex S. Hier.

D 5

Hier.

Hier. supra cit. & ex S. August. lib. de S. Virginit. c. 14. *Præcepto quisquis non obtemperat, reus est, & debitor pœnæ.* 2. Quia Lex, ac præceptum est usus, & applicatio juris, quod habet Superior ad obligandum subditos. Item est ordiuatio Superioris habentis potestatem, & voluntatem efficacem obligandi, eamque subditis declarantis: at voluntas efficax supposita potestate inducit effectum. 3. Lex divina naturalis, & positiva præcipit, ut justis Superiorum præceptis obtemperemus. Quare violatio cujusvis Præcepti etiam humani est transgressio Legis divinæ, ideoque offensa Dei, & peccatum.

Q. 4. *Quomodo dividitur Lex?*

Resp. Dividitur in divinam, quæ à Deo, & humanam, quæ ab homine sancita est. Lex divina subdividitur in æternam, naturalem, & positivam. Positiva in veterem, & novam. Vetus est ea, quam Deus dedit Moyfi per Angelum, & per Moyfen Israëlitis. Nova est ea, quæ à Christo lata fuit omnibus hominibus, & per Apostolos promulgata. Lex humana subdividitur in Ecclesiasticam, quæ scilicet fertur potestate Ecclesiastica, & Spirituali, ut Papæ, Concilii, Episcopi: & in Civilem, quæ fertur potestate Sæculari, ut Regis, Principis, &c.

SEC.